

IVVENIS & ĒCHO¹
cum *paraphrasticā interpretatiōne* ac *notīs*²



Iu. Cupio paucīs³ tē consulere⁴, sī vacat.

- Velim (=volo, quaeso) paucīs verbīs aliquid tē interrogāre, sī ūtium habēs (=sī tempus tibi est).

Ec. Vacat.

- Tempus habeo, ūtium habeo, tempus est mihi ad colloquendū (= ad colloquium)...

Iu. Et sī venio tibi grātus iuvenis.

- Et sī grātus est tibi adventus meus... et si gratiam habes mihi quod venī.

Ec. Venis.

- Venis (grātus) mihi!

Iu. Sed potesne mihi et dē futūrīs dīcere vērum, Echo?

- Potesne autem mihi dīcere id quod vērum futūrum est?...

Ec. Ἔχω⁵.

- Possum.

Iu. Et Graecē nōstī⁶? Quid istuc novī?

- Etiamne lingua Graecā loquī potes? id certē novum est!-

Ec. Nōvī!

- Certē scio (Graecē) -atque aliquid novum est!-.



Iu. Quālia tibi videntur Mūsārum studia?

- Quid tibi videntur studia litterārum? Cuius generis tibi videntur esse ea studia quibus animus ad humanitatem informatur.

Ec. Δīα⁷.

- Ea vērō stūdia dīvīna mihi esse videntur!

Iu. Censēs igitur terendōs⁸ auctōrēs, quī condūcunt ad bonās litterās?

- Itaque sentis perlegendōs (=legendōs iterum ac saepius esse) auctorēs quī optimī dīcuntur, quī quidem optimī esse traduntur?

Ec. Terās!

- Perlege eōs!



assiduā enim lectiōne auctōrēs teruntur, quia saepenumērō eōs tractās, saepissime eōs legendō.



liber, hoc est, cōdex, eiusque pāginae teruntur assiduā ac diūtinā lectiōne, crebrō dēnique diūturnōque ūsū!

Iu. Quam igitur mentem habent istī, quī haec studia linguis tradūcunt suīs?

- *Quālēs tibi videntur hominēs quī scrīpta (et Latīna et Graeca) vertunt modernis linguis vernāculīs?*

Ec. Suis⁹!

- *Etenim sentio eōs, tālia agentēs, omnia, quae genuīna ac nītida erant, sordidō lutō illuvīēque conspurcāre sīcut porcī sīve suēs solum seu humum stercore spargunt.*

Iu. Sed utinam hārum cultōrēs similiter essent et pietatis studiōsī!

- *Sed utinam litterārum studiōsī, sīmilī modō, bonōs mōrēs colerent! (= utinam bonī ac probī esse vellent!).*

Ec. Ō sī!

- *Vtinam vērō!*

Iu. Nunc quōrundam improbitas omnēs reddit invīsōs.

- *Nunc omnēs litterārum studiōsī sunt etiam odiōsī quod nonnullī eōrum sint improbī ac malī.*

Ec. Ἰσως¹⁰.

- *Fortasse!*

Iu. Et multī hominū peccātū confertur in nōmen ērudītiōnis.

- *Et multī hominēs ērudītī nōn probī sunt sed plēnī vitiōrum!*

Ec. ὄνοις¹¹.

- *asinī!*

Iu. Atquī vulgō videntur nōn infimī.

- *Sed multī hominēs sentiunt tālēs ērudītōs nōn esse sīcut infimī popellī [=plebeculae] faecem, hoc est, minimī pretiī in cīvitātē!*

Ec. Fimī¹².

- *Tālēs vērō mōrosophī (= quī inānem vānamque sapientiam ostentant) sordidī sunt ac minimī pretiī in hominū societāte!*

Iu. Quid facere censēs eōs, quī terunt aetātem

in sophisticō¹³ doctrīnae genere?

- *Quid sentis eōs facere quī per tōtam vitam vāna atque inānia studia colunt?*

Ec. Nēre!


- *Texere! (nēre enim est texere)*



Nērunt fātālēs fortia fīla deae

Iu. Fortassis tēlās¹⁴ arāneārum?

- *Fortassē tēlās arāneārum?*



arānea tēlam suam net sīve texit

- Eārum certē!

Ec. Hārum.

Iu. At Pēnelopēs¹⁵ tēlās texunt ac retexunt.

- Sed ista arānea, istās enim tēlās, texunt posteaque rescindunt resolvuntque, iterum ac saepius, saepenumero!

Ec. Texunt.

Iu. Cuī suādēs, ut mē dem vitae institūtō?

- quid vero munus observandum ac praebendum mihi suādēs in vitā meā?

Ec. Tūtō.

Iu. Erit auspicātum¹⁶, sī uxōrem dūxero?

- Eritne Superīs probātum ac bonum sī coniux fīam aliquando?

Ec. Sērō.

Iu. Quid si mihi veniat ūsū¹⁷, quod hīs,
quī incidunt in uxōrēs parum pudīcās,
parumque frūgiferās?

- Quid sī uxōrem habēbo parum probam,
quae praeterea nūllum mihi fructum praebeat?

Ec. Ferās!

Iu. Atquī cum tālibus morte dūrior est vīta.

- Habēbis nempe fēminam feram! vel esto patiens et aequō animō!
- Sed cum eiusmodī coniugibis vīta est dūrior quam ipsa mors!

Ec. Vītā!¹⁸.

Iu. Siccinē in rēbus hūmānīs dominārī fortūnam?

- Eo igitur modo fortuna imperat in rebus humanis?

Ec. Únam¹⁹!

Iu. Magis fortassis expedit,

ut aliquis pre coniugiō monachī institūtum ēligat. - Fortasse melius (=forsan ūtilius est) munus monachī quaerere quam coniugium!

- Vna et sōla Fortuna ea ratione omnium vitam regit!

Ec. Ligat.

Iu. Quid superest remedii, ubi quem adstrinxerit iam
nōdus insolubilis?

- Quod remedium restat eī quī iam est eō vinculō coniunctus?

Ec. Bilis²¹.

Iu. Attamen miserum est hominēs vīvere sōlōs.

- Triste tamen est hominēs vīvere sōlōs!

Ec. Ḷλως²².

Iu. Cuiusmodī censēs hōrum temporum
plērōsque monachōs?

- omnīno! prorsus, omnī ex parte!

- Quālēs esse videntur tibi plērīque monachī hōrum temporum?

Ec. ἄχος²³.

- aliquid noxiū quod magnum detrimentum afferit!

Iu. Quid igitur istōs movet, quī suspiciunt illōs ut semideōs?

- Quare igitur nonnulli homines monachos laudant ut semideos?

Ec. δέος²⁴.


- ob metum (=prae metū, propter metum) = quia timent eōs!

Iu. Quid captant plēriūque quī ambiunt sacerdōtium?

- Quid quaerunt plēriūque hominēs quī volunt esse sacerdōtēs?

Ec. ὅτιον.

- ὅτιον ināne, agere nihil.



Iu. Praetereā nihil habet sacerdos?

- Quid etiam offert (=praebet, dat) sacerdōtium?

Ec. κέρδος²⁵.

- lūcrum, quaestum...

Iu. Quid bonae reī contigit illīs, quī fīunt epīscopī?

- Quod ēmolumentum (=quid bonī?) habent episcopī?

Ec. κόποι²⁶.

- labōrem, molestiam, negōtium!

Iu. At nūllī magis vīvunt in ὅτιο.

- Nūllī tamen hominēs magis ὅtiōsī sunt!!

Ec. Scio.

- id certē scio!

Iu. Quae rēs illōs admonēre poterit, ut intelligent, quantum sustineant onus?

- Quid vērō eīs persuadēre poterit dē gravitāte, pondere magnōque momentō mūneris quod servāre debent?

Ec. ὡνοῦς²⁷.

- intellectus, sapientia!

Iu. Ergo rēs praeclāra sacerdōtium,

sī quis sē in eō gerendō quālem oportet praebeat?

- Itaque sacerdōtium rēs admīrabilis et laudābilis est, sī sacerdos est honestus ac probus!

Ec. Beat.

- Eā enim condicōne sacerdōtium aliquid laudābile est quod hominēs beātōs facit!!

Iu. Quid fructūs erit, sī mē conferam in aulam eōrum, quī praezellunt monarchicā dignitāte.

- Quod ēmolumentum erit mihī sī apud potentiorēs ac locūplētiōrēs, sī apud rēgiōs hominēs vīnam, dēgam, converser?

Ec. Ατη²⁸.

- damnum, noxa!



Iu. At nōn paucōs video, quī solent illinc sibi praeclāram fēlicitātem hario lārī.

- Attamen multōs video hominēs quī sē fēlicēs futūrōs esse credunt sī apud procerēs ac potentiōrēs erunt.

Ec. λάροι²⁹.

- Stupidī! [quod sē, ut gāviae, quaedam rapācēs avēs, capī sinunt dum cibum incautē, incircumspectē ac temerē quaerunt].

Iu. At interim dum incēdunt holosēricātī³⁰,
vulgō videntur hominēs magnificī.

- Intereā vērō, dum ambulant indūmentīs omnī ex parte sumptuōsis atque sēricātīs, plēriūque eōs ēgregiōs esse sentiunt.

Ec. Fīcī!³¹

- cum tamen sint fīcī! [i.e. hominēs nūllīus pretiū!]



Iu. Foris igitur aureōs, intus fīculneōs hominēs dīcis,
sī quis inspiciat comminus?

- Itaque extrinsecus istī hominēs aureī videntur, intrinsecus autem –si prope eōs aspexeris- fīculneī sunt, hoc est, ut truncus fīculneus -arboris fīcī-, quod est inūtile lignum.

Ec. Minus.

- minus certē, immo multō minus splendidī sunt quam videntur!

Iu. Nihil igitur praeclārī sunt,
quōs prō diīs venerāmur byssinōs³²?

- Ergō minimē dignī sunt quī ā nobis laudentur eī hominēs quōs tamen laudāmus quod sumptuōsō cultū sint, i.e., pretiōsissimās vestēs ac dīvitiās ostentent?

Ec. σίνος³³.

- calamitōsī sunt istī, quī nīl nisi dētrīmentum faciant reī publicae cēterīsque hominibus.

Iu. Nec mīlitāre genus magnō aestimābis fortassē.

- quid vērō dē hominibus bellicōsīs quī bellō student et parandō et indīcendō et gerendō?

Ec. Asse³⁴.

- profectō minimī pretiī sunt hominēs istī, nempe vīlēs, vacuī, inānēs...

Iu. Magnum quiddam pollicentur, quī ē sīderibus et futūra praedicunt Astrologī³⁵.

- sunt etiam hominēs quī aliquod magnum promittunt, sē futūra praedicere posse, conspectīs sīderibus!



Ec. Λόγοι³⁶.

- *hominēs nūgācēs, quī nihil nisi, nūgās dēlīramentaque effūtiunt, hoc est, verba vāna atque inānia faciunt!*

Iu. At strēnuē labōrant Grammatici³⁷.

- *Sed hominēs Grammaticae studiōstī impigrī atque industrīt sunt.*

Ec. εἰκῆ³⁸.

- *frustrā, nēquicquam, incassum, oleum operamque perdentēs, in tālibus studiīs ēlabōrant.*

Iu. Nōn placent, opīnor, lēgulēi³⁹ hominēs semper famelici.

- *Itaque grātī nōn sunt istī hominēs quī adeo sunt studiōsissimī lēgum ut nihil aliud quaerant, nihil cupiant, nihil dēnique studeant nisi sua prīvāta negōtia lēgibus firmāre, consolidāre.*

Ec. λύκοι⁴⁰.

- *lupī sunt!*



Iu. Quālis ero, sī fīam opifex?

- *Cuius ordinis homo iudicābor sī vīta sustendanda erit mihi operibus manuālibus ac labōribus corporis?*

Ec. Faex⁴¹!

- *tunc vērō quīdam tē hominem minimī pretiī, vīlem, immo sterlus vel infīmī popellī seu plēbei faecem iniustē habēbunt ac iudicābunt...*

Iu. Itāne nihil praetereā adferunt artēs bonī aut malī?

- *Eīs igitur mūneribus quid nobis comparāre possumus?*

Ec. alī⁴².

- *cibum, alimōnium, alimentum, nūtrimentum vītaeque sustentum.*

Iu. Fuerōne beātus sī persevērāvero in bonīs litterīs?

- *Fēlixne erō unquam sī perrēxerō –sī ea, quae nunc facio, futūrīs temporibus continuāre nōn dēsinam- nempe litterās politiōrēs ac philosophiam colere?*

Ec. Eris.

- *fēlix, beātus, laetus atque contentus eris.*

Iu. Sed quae rēs dabit ut adsit pietas?

- *Quōmodo autem pius quoque esse potero?*

Ec. Aetas.

Iu. Decem iam annōs aetātem trīvī in Cicerōne.

- Decem annōs Cicerōni assiduam, strenuam sēdulamque operam do.

Ec. ōve⁴³.

- asine!

Iu. Unde tibī subit mē asinum dīcere?

- Quārē mē asinum dīcis?

Ec. ē rē.

- rē expertus, rēbus consīderātis ac perspectīs id dīxi!

Iu. Fortassis hoc dīcis, nōn sīc huic incumbendum,
ut aliōs relinqquam.

- fortassē hoc dīcis, nōn tam praeposterā dīligentiā ūnī Cicerōnī operam dandam esse,
prorsus neglectīs cēterīs scriptōribus!

Ec. inquam.

- āio enimvērō! id enim affimo!



Iu. Nōn placet igitur is,
quī sē per omnem vītam tantum in hōc torqueat,
ut fīat Cicerōniānus⁴⁵.

- Itaque nōn placet is homo quī ūnī Cicerōni,
neglectīs aliīs scriptōribus aliārum aetātum,
per tōtam vītam magno labōre operam dat?

Ec. Ḅvouς⁴⁶.

- mente captus, cerrītus larvārumque plēnus est tālis homo.

Iu. Quid superest nātū grandibus,
quōrum aetas ad haec discenda nōn est tempestīva?

- Quid vērō habent iī quī iam occāsiōnem āmisērunt
discendī litterās polītiōrēs sīve hūmāniōrēs?

Ec. stīva⁴⁷.

- arātrum, hoc est, opera manibus magnīs labōribus facienda.

Iu. Fācundior essēs, opīnor, sī longius abessem.

- Sī nōn prope tē sed procul ā tē essem, plūra verba fortasse dīceres?

Ec. Essem.

- dīcerem certē!

Iu. Nōn mē dēlectant sermōnēs dissyllabī⁴⁸.

- Mihī nōn placent sermōnēs quī constant ex duābus syllabīs

Ec. abī!

- discēde igitur!

Iu. Coepī prior; video nōn posse vītarī, quīn posterior dēsinās.

- prīmus ego locūtus sum.

Ec. **sinās!**

- dēsine iam loquī!

Iu. Iam igitur tibī videor satis instructus
ad ea probē gerenda, quae sunt in vītā?- Ergō iam crēdis mē parātum esse ad mūnera
et officia rectē ac probē servanda in vītā meā?Ec. **ita!**

- Sīc est!

Iu. Proindē sī mē volēs abīre, dīc itō!

- Itaque sī vis mē iam discēdere, id dīcās!

Ec. **itō!**

- discēde tandem aliquando!

1. *Ita hoc colloquium inscribitur a sono reciproco, qui Graece dicitur. Fit autem cum sonus in aliquod corpus concavum impingens non secus ac pila repellitur, ibique auditur: quod si in diversa eiusmodi concava corpora incidat, variis vicibus audietur. Fabulam Echūs Nymphae vōcālis et artificiosissimum eius cum Narcisso lusum apud Nasonem vide Metamorph. libr. 3, fab. 5.*
2. Notae viridī colōre scriptae eae sunt quās Petrus Rābus concinnāverat ad Erasmī Colloquiōrum ēditiōnem quandam Norimbergae annō 1784 factam.
3. *paucīs* = paucīs verbīs, brevī tempore.
4. *consulere aliquem* est interrogāre eum ideōque certior fierī de iīs quae ante percontātiōnem ignōrābantur.
5. *ἔχω, habeo*, hic significat *possum*.
6. *nōstī, nōscō*.
7. *Δīa, dīvīna*.
8. *terendōs, pervolvendōs*.
9. *suis*, (genit., nomin. *sūs*), *porcī*.
10. *ἴσως, id est, scīlicet, fortasse*.
11. *ὄνοις, hoc est, asinīs*.
12. *fimī, stercora*.
13. *Sophistae, vānae sapientiae ostentātōrēs, saepius suprā notātī*.
14. *tēlās arāneārum nēre vel texere*, hoc est, rēbus nulliū ūtilitātis aut fructūs operam dare, atque ita operam et oleum perdere.
15. *Pēnelopēs tēlās texere dīcuntur*, quī inānem operam sūmunt, et quod prius effēcērunt, rursum destruunt, ut ille Sisyphus apud inferōs saxum volvens. Nātum adagium ab illā castā Pēnelopē Ulixis uxōre, quae procōs, marītō absente, acerrimē instantēs dēlūdere cupiens, promittebat sē tum nuptūram, ubi tēlam, quam manibus habēbat, absolvisset. Sed calidissima mulier, quō eōs vānā spē lactāret, quod interdiū texisset, id nocte retexere coepit.
16. *bonīs avībus coeptum*, hoc est, fēlix.
17. *accidat*.
18. *cavē!*
19. *sōlam!*
20. *is sē constringit*!
21. *bilis prō īrā*.
22. *ὅλως, id est, omnīnō*.
23. *ἄχος, pestem, dolōrem*. Immo vērō Erasmī perniciem saepius machinātī sunt.
24. *δέος, timor*. Nōn mīrum equidem, cum ipsīs monarchīs terrōrī fuerint istī male fēriātī monachī.
25. *κέρδος, lūcrum*.
26. *κόποι, labōrēs*.
27. *όνοῦς, id est, mens*.

28. Ἄτη, *noxa, damnum* vel *calamitas*. Dea fingitur ab Hōmērō hominibus mala immittens.
29. λάροι, prō, *stupidīs*. *Larus* avis est, quam et gāviam dīcunt.
30. veste holosēricā indūtī, i.e., ex tōtō sēricō.
31. sīc *hominēs fīculneī*, dīcuntur bardī, et stupidī. Horat. lib. I sat. 2 *truncus fīculnus, inūtile lignum*.
32. *byssō* ornātōs. βύσσος līnī genus ex quō olim dēlicātulīs mulierculīs conficiēbantur vestēs subtilissimae.
33. σίνος, *damnum, noxa*.
34. immo mīlitēs omnēs nē quidem ūnīus aestimēs assis, sī quis tē rectē nōrit, Erasme.
35. Αστρόλογοι , sīderum perītī, seu quī ex astrīs futūra praedicunt.
36. λόγοι, *verba*.
37. Γραμμάτικοι, *litterāriī*.
38. εἰκῆ, *frustrā*.
39. quī studiīs lēgum incumbunt.
40. λύκοι, *lupī*.
41. *faex*, homo vīlis.
42. alī, nūtrīrī, iuxtā illud: *artem quaevis terra alit*.
43. ὄνε, id est, *asine*.
44. *Latīnōs auctōrēs*, scīlicet.
45. Conscrīpsit Erasmus *dialogum*, quem *Cicerōniānum* vocat, quō irrīdet eōs, quī cēterīs neglectīs, ūnī Cicerōnī legendō incumbunt, eumque sōlum imitantur, quālēs tunc temporis multī fuēre, ut *Longōlius* ille, *Simius Cicerōnis* dīctus, aliīque. Variae dē hōc libellō sunt doctōrum *opīniōnēs*.
46. ἀνονց, supplē ἐστīv, id est, *amens est*.
47. *stīva*, hoc est, arātrum, pars prō tōtō.
48. duārum syllabārum.